

# MISSÆ PROPRIÆ

## DICÉCESIS

# ROTTENBURGENSIS

Die 22 Ianuarii

**S. MEINRADI**

Eremitæ, Martyris

III classis

**Antiphona ad Introitus Ps. 20, 2-3**

**I**n virtute tua, Dómine, laetábitur iustus: et super salutare tuum exsultabit veheménter: desiderium animae eius tribuisti ei (**Ps. ibid., 4**) Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcéinis: posuísti in cápite eius corónam de lápide pretiósso. **℣.** Gloria Patri.

**Oratio**

P

**B**eáti Meinrádi Sacerdótis et Mártyris tui, quásumus, Dómine, intercessione nos áduva: ut eius suffúlti suffrágio, quam precámur indulgéntiam peccatórum cónsequi mereámur. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio Ss. Vincentii et Anastasii Martyrum.**

Léctio Libri Sapientiae

**Sap. 10, 10-14**

**I**ustum deduxit Dóminus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, et a seductóribus tutavit illum; et certamen forte dedit illi, ut víceret, et scíret, quoniam omnium potentior est sapientia. Haec venditum iustum non dereliquit,

sed a peccatoribus liberavit eum: descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant, et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem aeternam, Dominus, Deus noster.

**Graduale Ps. 111, 1-2** Beátus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. **℣.** Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.

Allelúia, allelúia. **℣.** **Ps 20,4** Posuisti, Dómine, super caput eius corónam de lápide pretiosa. Alleluia.

**Post Septuagesimam, omissis Alleluia et versu sequenti, dicitur:**

**Tractus Ps. 20, 3-4** Desiderium animae eius tribuisti ei: et voluntate labiorum eius non fraudasti eum. **℣.** Quoniam praevenisti eum in benedictónibus dulcedinis. **℣.** Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthéum

**Matth. 16, 24ff.**

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim voluerit ánimam suam salvam fáceret, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim

prodest hómini, si mundum univérsum lucréatur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatióne pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum ángelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera eius.

**Antiphona ad Offertorium Ps. 8, 6-7**  
Gloria et honore coranasti eum: et constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine.

**Secreta**

P

**A**ccépta sit in conspéctu tuo, Dómi-ne, nostra devótio: et cuius nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cuius solemnítate defértur. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio Ss. Vincentii et Anastasii Martyrum.**

**Antiphona ad Communionem Matth. 16, 24**  
Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

**Postcommunio**

P

**R**efécti participatióne múnneris sacri, quáesumus, Dómine Deus noster: ut cuius exséquimur cultum, intercedénte béato Meinrádo Mártyre tuo, sentiámus effectum. Per Dóminum nóstrum.

**Et fit Commemoratio Ss. Vincentii et Anastasii Martyrum.**

Die 28 Ianuarii

**B. HENRICI SUSONIS**

Confessoris

**III classis**

**Antiphona ad Introitus Ps. 91, 13-14**  
**I**ustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei nostri. (**Ps. ibid., 2**) Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. **¶**. Glória Patri.

**Oratio**

**D**eus, qui beátum Henrícum Confessórem tuum córporis mortifica-tiόne et caritáte mirábilem effecísti: concéde; ut Christum crucifixum corde dilí-gere et ópere in nobis exprímere valeá-mus: Per eundem Dominum.

**Et fit Commemoratio S. Petri Nolasci, deinde S. Agnetis Vírginis et Martyris secundo, ut in Missali hac die.**

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses

Philip. 3, 7-12

**F**atres: Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Iesu Christi Dómini mei: propter quem ómnia detriméntum feci et áribitor ut stércora, ut Christum lucrifáciam et invéniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu: quæ ex Deo est iustítia in fide; ad cognoscéndum illum et virtútem resurrectiónis eius et societátem passiónum illíus, configurátus morti eius: si quo modo occúrram ad resurrec-tiόne, quæ est ex mórtuis: non quod iam accéperim, aut iam perféctus sim: sequor autem, si quo modo comprehén-dam, in quo et comprehénsus sum a Christo Iesu.

**Graduale Ps. 36, 30-31** Os iusti medi-tábitur sapiéntiam, et lingua eius loqué-tur iudíciū. **¶**. Lex Dei eius in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus eius.

**Allelúia, allelúia. ¶ Ps 111,1** Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis. Allelúia.

**Post Septuagesimam, omissis Alleluia et versu sequenti, dicitur:**

**Tractus Ps. 111, 1-3** Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. Gloria et divitiae in domo eius: et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

 Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum  
Matth. 11, 25-30

In illo tempore: Respöndens Iesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapiéntibus et prudéntibus, et revelasti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui voluerit Fílius revelare. Veníte ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tóllite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et húmilius corde: et inveniétis réquiem animabus vestris. Iugum enim meum suáve, et onus meum leve.

**Antiphona ad Offertorium Ps. 20, 2-3** In virtute tua, Domine, lætabitur iustus, et super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ eius tribuisti ei.

### Secreta

Domine Iesu Christe, qui haec sacra in tui commemorationem fieri præcepisti: præsta, ut beati Henrici imitacione, te iúgiter cogitamus atque sapiámus: Qui vivis et régnas.

**Antiphona ad Communionem Matth. 19, 28 et 29** Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis ómnia, et secuti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam æternam possidébitis.

### Postcommunio

Divinæ sapiéntiæ mensa refécti, quæsumus, omnípotens Deus: ut per sacramenta, quæ súmpsimus, beato Henrico intercedente, ad vitam æternam enutriámur. Per Dominum.

Die 15 Martii  
**S. CLEMENTIS MARIAE HOFBAUER**  
Confessoris  
III classis

**Missa** Iustus ut palma, de Communi Confessoris non Pontificis II loco, cum Orationibus ut infra:

**Oratio** P  
Deus, qui beatum Cleméntem María miro fidei róbore et invictæ constántiæ virtute decorásti: eius méritis et exemplis fac nos, quaésumus, ita fortes in fide et caritaté ferventes, ut praémia consequámur æterna. Per Dominum.

**Secreta** P  
Ille nos, quæsumus, Domine, devotioñis ignis accéndat: quo beatus Clemens María, dum salutarem offéret hóstiam, iúgiter flagrávit. Per Dominum.

**Postcommunio** P  
Cælesti pane reféctis concéde nobis, omnípotens Deus: ut beati Cleméntis exemplo, in fortitudine cibi illius usque ad montem, qui Christus est, feliciter perveniámus: Qui tecum vivit et regnat.

Die 7 Aprilis  
**S. HERMANNI JOSEPHI**  
Confessoris  
III classis

**Missa** Os iusti, de Communi Confessoris non Pontificis I loco, cum Oratione et Evangelio ut infra:

**Oratio**

P

**D**eus, qui beátum Hermannum Io-séphum Confessórem tuum in benedictiónibus dulcéinis a puerítia prae-venísti: praesta, quæsumus, ut innocéntis et sanctae vitae eius vestígiiis insistentes, ad caelestem patriam, in qua gloriósus exsúltat, securi perveniámus. Per Doñm.



Sequéntia sancti Evangélii  
secúndum Matthaéum

**Matth. 11, 25-30**

**I**n illo témpore: Respóndens Iesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Dómine cæli et térræ, quia abscondisti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis et oneráti estis, et ego reficiam vos. Tóllite iugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Iugum enim meum suáve, et onus meum leve.

Die 21 Aprilis

**S. CONRADI A PARZHAM**

Confessoris

III classis

**Missa Os iusti, de Communi Confessoris non Pontificis I loco, præter Orationes sequentes:**

**Oratio**

P

**D**eus, qui misericórdiæ tuæ iánuam fidélibus patére voluisti: te súpplices exorámus; ut, intercedénte beáto Conrádo Confessóre tuo, temporália sub-sídia nobis tríbuas et ætérrna. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio S. Anselmi Ep. et Doct.:**

**Oratio**

**D**eus, qui pópulo tuo ætérrnæ salútis beátum Ansélmu minístrum tribuísti: præsta, quaésumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

**Secreta**

P

**O**blatiónes nostraras tibi, Dómine, quaésumus, beáti Conrádi intercés-sio veneránda comméndet: quem coram tuis altáribus precántem supernórum charísmatum dulcéine recreásti. Per Dóminum.

**Pro S. Anselmo****Secreta**

**S**ancti Ansélmi Pontíficis tui atque Doctóris nobis, Dómine, pia non desit orátió: quæ et múnera nostra concíliet, et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

**Postcommunio**

P

**S**úmpsimus, Dómine, tua sancta, beáti Conrádi mérita recoléntes: præsta, quaésumus; ut eius semper et præcláro proficiámus exémpló et fidéli muniámur auxílio. Per Dóminum.

**Pro S. Anselmo****Postcommunio**

**U**t nobis, Dómine, tua sacrificia dent salútem: beátus Ansélmus Póntifex tuus et Doctor egrégius, quaésumus, precátor accédat. Per Dóminum.

Die 27 Aprilis

**S. PETRI CANISII**

Confessoris et Ecclesiæ Doctoris  
II classis

**Antiphona ad Introitus**

**Eccli. 15, 5**

**I**n médio Ecclésiæ apéruit os eius: et implévit eum Dóminus spíritu sapién-tiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit

eum (T.P. allelúia, allelúia). Ps. 91, 2 Bonum est confíteri Dómino: et psállere nómini tuo, Altissime. ¶ Glória Patri.

### Oratio

**D**eus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátum Petrum Confessórēm tuum virtúte et doctrína roborásti: concéde propítius; ut eius exémplis et móntis errántes ad salútem resipíscant, et fidéles in veritatis confessióne persevérent. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli  
ad Timótheum  
**2 Tim. 4, 1-8**

**C**aríssime: Testíficor coram Deo, et Iesu Christo, qui iudicatús est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus et regnum eius: praédica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncipa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritatē quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelistæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim iam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna iustitiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt advéntum eius.

Allelúia, allelúia. ¶ Ps. 118, 46 Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar. Allelúia, ¶ 1 Cor. 9, 22 Omnia ómnibus factus sum, ut omnes fácerem salvos. Allelúia,

### Extra tempus paschale

**G**raduale Ps. 118, 129-130 Mirabília testimónia tua, Dómine, ídeo scrutáta est ea ánima mea. ¶ Declarátio sermónum tuórum illúminat et intelléctum dat párvulis.

Allelúia, allelúia. ¶ Ps. 108, 30 Confitébor Dómino nimis in ore meo: et in médio multórum laudábo eum. Allelúia.

**P**ost Septuagesimam, omissis Allelúia et Versu sequenti, dicitur:

**T**ractus Ps. 118, 104, 105 et 158 A mandátis tuis intelléxi, proptérea odívi omnem viam iniquitatis. ¶ Lucérna pédibus meis verbum tuum, et lumen sémitis meis. ¶ Vidi prævaricántes et tabescébam, quia elóquia tua non custodiérunt.

 Sequéntia sancti Evangélii secún-dum Matthaeum

**Matth. 5, 13-19**

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhil valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscondi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífican Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putare, quóniam veni sólvere legem aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen, quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, iota unum aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, míni-mus vocábitur in regno cælórum: qui

autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum.

**Antiphona ad Offertorium Ps. 33, 12**  
Veníte, filii, audíte me: timórem Dómini docébo vos (**T.P.** allelúa).

### Secreta

**S**anctifica, misericors Deus, hæc múnera tibi oblata, et Ecclésiæ tuæ, beato Petro intercedente, unitatis et pacis propítius dona concéde. Per Dóminum.

**Praefatio de Sanctis.**

**Antiphona ad Communionem Is. 12, 3**  
Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris (**T.P.** allelúa).

### Postcommunio

**S**acrificium, Dómine, quod in honórem beati Petri Confessoris tui atque Doctoris obtulimus: fidem nostram, spem et caritatem áugeat, et Ecclésiam tuam nova semper prole lætificet. Per Dóminum.

Die 5 Junii

**S. BONIFATII**

Episcopi et Martyris

II classis

Missa Exultábo, ut in Missali hac die,  
**Praefatio de Sanctis.**

Die 4 Iulii

**S. UDALRICI**

Episcopi et Confessoris

III classis

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis I loco, præter Orationem sequentem:

**Oratio**

**D**eus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus: concéde propítius; ut, intercessione beati Udalrici Confessoris tui atque Pontificis, con-

tra ómnia advérsa muniámur. Per Dñm.

### Secreta

C

**S**ancti tui, quaésumus, Dómine, nos ubique lætificent: ut, dum eorum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

### Postcommunio

C

**P**ræsta, quaésumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedente beato Udalrico Confessore tuo atque Pontifice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum.

Die 8 Iulii

**SS. KILIANI ET SOCIORUM**

### Martyrum

III classis

**Missa Sapientiam, de Communi plurimorum Martyrum II loco, præter Orationem sequentem:**

### Oratio

P

**M**agníficet te, Dómine, sanctórum tuórum Kiliáni Sociorúmque eius beata solémnitas: qua et illis glóriam sempitérnam, et opem nobis ineffabili providéntia contulísti. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Elisabeth Reginæ, Viduæ, ut in Missali hac die.

### Secreta

C

**M**únera tibi, Dómine, nostræ devotíonis offérimus; quæ et pro tuórum tibi grata sint honore iustórum, et nobis salutária, te miserante reddántur. Per Dóminum.

### Postcommunio

C

**P**ræsta nóbis, quaésumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Kiliáno et Sóciis eius; ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 17 Iulii

**B. IRMENGARDIS**

Virginis, Abbatissæ

III classis

Missa Dilexisti, de Communi Virginis,  
III loco, cum Orationibus ut infra:

## Oratio

P

**D**ómine Iesu, qui beátam Irmengárdem, Vírginem tuam, mundi delícias despícere et nómini tuo benedícere fecísti: præsta, quásumus; ut eius intercessióne ómnibus diébus vitæ nostræ tibi placeámus. Qui vivis et regnas.

Et fit Commemoratio S. Alexii Confessoris, ut in Missali hac die.

## Secreta

P

**B**enedictio tua, Dómine, larga descéndat, quæ beátæ Vírginis Irmengárdis suffrágiis múnera nostra tibi reddat accépta, et nobis sacraméntum redemptiónis perficiat. Per Dóminum.

## Postcommunio

P

**B**eátæ Irmengárdis précibus confisi: quásumus, Dómine; ut per ea, quæ súmpsimus, ætérrna remédia capiámus. Per Dóminum.

Die 27 Augusti

**S. GEBHARDI**

Episcopi et Confessoris

III classis

Missa Sacerdótes tui, de Communi Confessoris Pontificis II loco. Et fit Commemoratio S. Josephi Calasancii Confessoris, ut in Missali hac die.

Dominica 1 Septembri  
**SOLEMNITAS EXTERNA**  
**SS. ANGELORUM CUSTODUM**

Die 6 Septembri

**S. MAGNIS**

Abbatis

III classis

Missa Os iústi, de Communi Abbatum,  
cum Epistola ut infra:

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli  
ad Corínthios  
1 Cor. 4, 9-14

**F**ratres: Spectáculum facti sumus mundo et ángelis et homínibus. Nos stulti propter Christum vos autem prúdentes in Christo: nos infírmi vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esúrimus, et sítimus et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes máníbus nostris: maledícimur et benedícimur: persecutióne pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta huius mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, haec scribo, sed ut filios meos caríssimos moneo: in Christo Jesu Dómino nostro.

Die 17 Septembri

**S. HILDEGARDIS**

Virginis

III classis

Antiphona ad Introitum Ps. 72, 28

**M**ichi autem adhærere Deo bonum est, pónere in Dómino spem meam: ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas in portis filiæ Sion. Ps. 40, 13 Me autem propter innocéntiam suscepisti: et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérrnum. **Glória Patri.**

### Oratio

**D**eus, qui beátam Hildegárdem Vírginem tuam donis cælestibus decorásti: tríbue, quaésumus; ut, eius vestígiis et documéntis insisténtes, a præséntis saéculi calígine ad lucem tuam delectábilem transíre mereámur. Per Dóminum.

**Et fit Com. Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.:**

### Oratio

**D**ómine Iesu Christe, qui, frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Francísci passiónis tuæ sacra Stigmata renovásti: concéde propítius; ut eius méritis et précibus crucem iúgiter ferámus, et dignos fructus poenitentiæ faciámus: Qui vivis.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli  
ad Corínthios  
**1 Cor. 1, 26-29**

**V**idete vocatióñem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confundat sapiéntes: et infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia: et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu eius.

**Graduale Cantic. 3, 4 et 6, 2** Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam. **¶** Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Allelúia, allelúia. **¶ Isai. 61, 10** Exsultábit ánima mea in Deo meo, quia induit me vestiméntis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. Allelúia.

**In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúia et Versu sequenti, dicitur**

**T**ractus Sap. 4, 1-3 O quam pulchra est casta generáto cum claritaté: immortális est enim memória illius, quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines. **¶** Cum præsens est, imitántur illam, et desiderant eam, cum se edúxerit. **¶** Et in perpétuum coronáta triúmphat, incoquinatórum certáminum praémia vincentes.

**T**empore Paschali omittitur Graduale, et eius loco dicitur:

Allelúia, allelúia. **¶ Ps. 30, 22** Benedíctus Dóminus: quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte muníta. Allelúia. **¶ Prov. 4, 9** Lætare, mater nostra, quia dabit Dóminus cápti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclyla próteget te. Allelúia.

 **S**equéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum **Matth. 25,1-13**

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórū decem virgínibus: quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviā sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quínque prudéntes: sed quínque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exíte óbviā ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicén-

tes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émitte vobis. Dum autem irent émère, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est iánua. Novís-sime vero véniant et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen, dico vobis, néscio vos. Vigiláte itaque, quia nescítis diem neque horam.

**Antiphona ad Offertorium Ps. 41, 2 et 3**  
Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus. Sitívit ánima mea ad Deum fortém vivum.

### Secreta

**S**anctæ Hildegárdis Vírginis tuæ festa rekoléntes, preces offérimus et hós-tias immolámus: præsta, quaésumus, Dó-mine; ut, cum præsídio temporáli, vitæ nobis praébeant increménta perpétuæ. Per Dóminum.

**Pro Impressione Ss. Stigmatum S. Fran-cisci Secreta**

**M**únera tibi, Dómine, dicáta sanctí-fica: et, intercedénte beáto Fran-cisco, ab omni nos culpárum labe purí-fica. Per Dóminum.

**Antiphona ad Communionem Philipp. 1, 20 et 21** Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem: mihi enim vívere Christus est et mori lucrum.

### Postcommunio

**P**erpétuo, Dómine, favóre proséquere, quos réficiis divíno mystério: et quos imbuísti cælestibus institútis: eósdem, intercedénte beáta Hildegárde Vírgine tua, salutáribus comitáre solátiis. Per D.

**Pro Impressione Ss. Stigmatum S. Fran-cisci Postcommunio**

**D**eus, qui mira Crucis mystéria in beáto Francíscu Confessóre tuo multifórmiter demonstrásti: da nobis quaésumus; devotiónis suæ semper ex-empla sectári, et assídua eiúsdem Crucis meditátio muníri. Per Dóminum.

Die 25 Septembris  
**S. NIKOLAI DE FLÜE**  
Confessoris  
III classis

**Antiphona ad Introitus Ps. 72, 28**

**E**cce, elongávi fúgiens et mansi in solitúdine: quóniam vidi iniquitátem et contradiccióne in civitáte. **Ps. 54, 2-3** Exáudi, Deus, oratióne meam, et ne despéxeris deprecationem meam: inténde mihi, et exáudi me **¶**. Glória.

**O**ratio  
**B**eati Nicolai, Confessoris tui, intercéssione suffulti te, Dómine, suppliciter exorámus: ut gentem nostram benigna semper protectióne custódias, eiúsque rectóribus grátiæ tuæ lumen cleménter infúndas. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli  
ad Romános  
**Rom. 14, 17-19**

**F**ratres: Non est enim regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gáudium in Spíritu Sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo et probatus est homínibus. Itaque, quæ pacis sunt, sectémur: et quæ aedificatiónis sunt, in ínvicem custodiámus.

**Graduale Ps. 121, 7-8** Fiat pax in virtúte tua, et abundántia in túrribus tuis. **¶**

Propter fratres meos et próximos meos, loquébar pacem de te.

Allelúia, allelúia. **¶ Ps. 54,23** Iacta cogitatum tuum in Dómino, et ipse te enútriet. Allelúia.

**In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúia et Versu sequenti, dicitur**

**Tractus Ps. 33, 9-10** Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus. **¶** Beátus vir, qui sperat in eo: quoniam nihil déest timéntibus eum. **¶** Dívites eguérunt et esuriérunt: inquiréntes autem Dóminum non deficient omni bono.

**Tempore Paschali omittitur Graduale, et eius loco dicitur:**

Allelúia, allelúia. **¶ Ps. 54, 23** Iacta cogitatum tuum in Dómino, et ipse te enútriet. Allelúia. **¶ Jo. 6, 51** Si quis mandacáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Allelúia.

 **Sequéntia sancti Evangélii secundum Matthaeum Matth. 19, 27-29**

**I**n illo tempore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce nos relíquimus ómnia et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede maiestatis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, iudicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

**Antiphona ad Offertorium Ps. 30, 4**  
Dómine, fortitúdo mea et refúgium meum es tu, et propter nomen tuum dedúces me et enútries me.

### Secreta

**M**únera tibi, Dómine, dicáta sanctí fica: et, intercérente beáto Nicoláo Confessóre tuo, per éadem nos benígnus inténde; ut tibi famulántes in terris, glória tua perfruámur in cælis. Per Dóminum.

**Antiphona ad Communionem Gal. 2, 19-20** Christo confixus sum cruci. Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus.

### Postcommunio

**M**ysteriorum tuórum nos, quásu-mus, Dómine, commúnio sancta restáuret: ut beáti Nicolái sequéntes ex-empla, in tuo semper amóre crescámus: Per Dóminum.

Dominica 1 Octobris

### SOLEMNITAS EXTERNA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS A ROSARIO

Die 12 Octobris  
**B. IACOBI (GRIESINGER)**  
**AB ULMÀ**  
**Confessoris**  
**III classis**

**Missa Os iusti, de Communi Confessoris non Pontificis I loco, cum Orationibus ut infra:**

**Oratio** P

**D**eus, qui beátum Iacóbum Confessórem tuum humilitátis et oboediéntiae virtúte mirabiliter decorás-ti: eius intercessióne fac nos terréna despícere et mandátis tuis iúgiter inhaerére. Per Dóminum.

**Secreta** P

**O**blátis, Dómine, placáre munéribus: et beáti Iacóbi Confessóris tui

intercessióne concéde; ut cælestia dona digne suscipiéntes, promíssa humílibus præmia cónsequi mereámur. Per Dñm.

## Postcommunio

P

**P**anis Angelórum, quo facis nos esse partícipes: Dómine, súpplices exorámus: ut per beáti Iacóbi mérita, sit nobis salútis ætérnæ indeficiens spes, ac secúra fruítio. Per Dóminum.

Die 14 Octobris  
**IN DEDICATIONE  
PROPRIÆ ECCLESIÆ**

## I classis

Missa Terríbilis, de Communi Dedicationis Ecclesiæ, ut in Communi Sanctorum. Dicitur Credo.

## Die 16 Octobris

**S. GALLI**

## Abbatis

## III classis

Missa Os iusti, de Communi Abbatum. Et fit Commemoratio S. Hedwigis Viduae ut in Missali hac die.

Die 17 Octobris  
**IN DEDICATIONE  
ECCLESIÆ CATHEDRALIS**

## I classis

Missa Terríbilis, de Communi Dedicationis Ecclesiæ, ut in Communi Sanctorum. Dicitur Credo.

## Die 20 Octobris

**S. WENDELINI**

## Abbatis

## Commemoratio

## Oratio

C

**I**ntercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Wendelíni Abbatis comméndet:

ut quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dóminum.

## Secreta

C

**S**acris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Wendelínus Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dominum.

## Postcommunio

C

**P**rótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Wendelínus Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis eius experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Die 31 Octobris  
**S. WOLFGANGI**  
Episcopi et Confessoris  
III classis

Missa Sacerdótes tui, de Communi Confessoris Pontificis II loco, præter Orationem sequentem:

## Oratio

P

**D**eus, qui nobis ætérnæ salútis beátum Wolfgángum Epíscopum minístrum tribuísti: præsta, quæsumus: ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

## Secreta

C

**S**ancti Wolfgangi Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis officia, et illum beáta retribútio comitémur, et nobis gratiæ tuæ dona concílet. Per Dóminum.

Postcommunio	C	Secreta	P
<b>D</b> eus, fidélium remunerátor animárum: præsta, ut beáti Wolfgangi Confessóris tui atque Pontíficis, cuius venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.		<b>H</b> óstias, Dómine, quas tibi offérimus, propítius súscipe: et peccatórum nostrorum víncula, intercedénte beáta Elísabeth, miserátus absólve. Per Dñm.	
Die 11 Novembris		<b>P</b> ostcommunio	
<b>S. MARTINI</b>		<b>S</b> anctificáti, Dómine, salutári mystério: fac nos méritis beátæ Elísabeth humilitátem sectári; qui pro nostra salúte usque ad mortem humiliári voluísti: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.	
Episcopi et Confessoris			
Patroni Dioecesis			
I classis			
Missa Státuit, ut in Proprio Sanctorum hac die. Omittitur Commemoratio S. Mennæ Mart., et dicitur Credo. Praefatio de Sanctis.		Die 26 Novembris	
Die 21 Novembris		<b>S. CONRADI</b>	
<b>S. COLUMBAN</b>		Episcopi et Confessoris	
Abbatis			
Commemoratio		III classis	
Orationes ex Missa Os iusti, de Communi Abbatum.			
Die 25 Novembris			
<b>B. ELISABETH BONÆ</b>			
Virginis			
III classis			
Missa Vultum tuum, de Communi Virginum IV loco, cum Evangelio Símile est regnum caelórum thesáuro, II loco notato, et Orationibus ut infra:			
Oratio	P		
<b>C</b> rescat, Dómine, in nobis passiónis unigéniti Fílli tui afféctus: et beátæ Elísabeth Vírginis imitatióne, eius memória in córdibus nostris iúgiter augeátur. Per eúndem Dóminum.			
Et fit Commermoratio S. Catharinæ Virginis et Martyris, ut in Missali hac die.			

## INDEX ALPHABETICUS

		pag.
Angelorum Custodum Solemnitas ext.	Dom. I Sept	7
Beatæ Mariæ Virginis a Rosario ext	Dom I Oct	10
Bonifatii Episcopi et Martyris	5 Iunii	6
Clementis Mariae Hofbauer Conf.	15 Martii	3
Columban Abbatis	21 Nov	12
Conradi a Parzham Conf.	21 Apr	4
Conradi Episc et Conf	26 Nov	12
Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis.	17 Oct	11
Dedicatio propriæ Ecclesiæ Loci	14 Oct	11
Elisabeth Bonæ Virg	25 Nov	12
Galli Abbatis	16 Oct	11
Gebhardi Episc et Conf	27 Aug	7
Hermannii Iosephi Conf.	7 Apr	3
Henrici susonis Conf.	28 Ian	2
Hildegardis Virg.	17 Sept	7
Irmengardis Virg. Abbat.	17 Iulii	7
Iacobi Griesinger Conf	12 Oct	10
Kiliani et Sociorum Martyrum	8 Iulii	6
Magni Abbatis	6 Sept	7
Martini Episc. et Conf. Patroni	11 Nov	12
Meinradi Erem. Et Martyris	22 Ian	1
Nicolai de Flüe Conf	25 Sept	9
Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct.	27 Apr	4
Udalrici Episc. et Conf.	4 Iulii	6
Wendelini Abbatis	20 Oct	11
Wolfgangi Episc. et Conf	31 Oct	11